

Franckesche Stiftungen zu Halle

Christophori Cellarii Breviarivm Antiquitatvm Romanarvm

Cellarius, Christoph

Halae Magdebvrgicae, 1778

VD18 13038508

Caput II. De Magistratibus Romanorum eiusque

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

œdebantur. Deducunt nomen ab inferis: Fe-
stus autem ab inferendo, quia formulæ consue-
tæ erant ferre inferias et inferre.

§. 2. Exempla vide apud Virg. Aen. l. III. v. 66.
l. IX. v. 215. l. X. v. 519. et l. XI. v. 82. Omnia au-
tem clarissime hic ritus cognoscitur ex columna
seu cenotaphio Lucii Cæsaris, quod Pisces in Italia
visitur, cui inscriptum est: *inferiae mittantur,*
bosque et ouis atri infulis cœrulis infulati diis
manibus eius maectentur: eaque hostiæ eo loco
adoleantur, superque eas singulae vrne lactis,
mellis, olei fundantur.

CAPVT II

DE

MAGISTRATIBVS
ROMANORVM

eiusque

SECTIO I

DE

MAGISTRATIBVS
ANTIQVIS.

I. DE REGIBVS.

§. I.

Romanum imperium initio penes reges
fuit: qui mirabili ordine ac successio-
ne, nec sine prouidentia ita se secuti
funt,

B 5

funt,

sunt, vt ex minima republica fieret omnium maxima et potentissima. *Romulus* enim heroico ingenio fundamenta iecit vrbe ad Tiberim condita. *Numa* religionem in populum semibarbarum induxit: constituendæ reipublicæ in primis necessariam, vt fides et integritas seruetur, quod vinculum est generis humani. *Tertius rex, Tullus Hostilius*, arma tractare iuuentutem docuit: vt contra iniurias respublica noua defenderetur. *Quartus rex, Ancus Martius*, rempublicam ampliavit: coloniam deduxit: vt mare liberum haberet, prospexit: et, vt tuta esset etiam altera Tiberis ripa, Ianiculum trans Tiberim muniuit et ponte vrbi iunxit. *Quintus, Tarquinius priscus*, græcus genere, maiestati corroborandæ splendorem addidit et ornatum, sine quo contemtui sunt imperantes. *Sextus, Seruius Tullius*, censum egit: id est, numerum ciuium iniit, vt sciret, quot arma tractare possent; et in mores singulorum, etiam opes inquisivit, vt tributa pro opum conditione imponeantur. *Septimus rex, Tarquinius Superbus*, id est, tyrannus, suis et suorum iniuriis fecit, vt Romani exactis regibus in libertatem sese vindicarent et pro regia constituerent rempublicam liberam post CCXLIII. annum v. c. Vid. Liv. l. i. c. 7. seq. et Eutrop. l. i. c. 1. seq.

§. 2. De potestate regum queritur, fueritne absoluta nec ne? Pompeius quidem l. ii. §. 14. ff. de origine iuris dicit, reges omnem potestatem habuisse. Sed nec hoc putamus absolute in-

interpretandum esse: quia Romulus præsentiens Italos, uti alios Europæos, seruitutem ferre non posse, centum sibi senatores adlegit, quorum consilio rempublicam administraret, qui nonnumquam acriter cum eo decertarunt. Liu. l. i. c. 8; et Eutrop. l. i. c. i. n. 3. Deinde, quod ex fragmento Ciceronis apud Senecam ep. 108. constat, prouocatio ad populum etiam a regibus fuit. Exemplum clarum habet Lilius l. i. c. 26.

II. DE CONSVLIBVS.

§. 1. Exactis regibus propter iniurias et tyrannidem consulare imperium institutum est, sub quo Roma felicissima facta ad Cæsarum usque tempora floruit. Pro uno rege duo consules creati sunt: ut, si unus malus esse voluisset, alter eum, habens parem potestatem, coerceret. Et placuit, ne imperium longius, quam unum annum haberent: ne per diuturnitatem imperii insolentiores fierent. Vid. Eutrop. l. i. c. 8.

§. 2. Ornamenta consulum erant prætexta toga seu purpura, sella curulis et xii lictores cum fasciis virgarum, quibus securis inserta erat: quamquam valeria lege statim post securis fascibus fuit admota, ad terrorem mitigandum; extra urbem autem, ut in bellis et provinciis, seruata. Plutarck. in Publicola p. 102.

§. 3. Consules erant vel ordinarii vel suffici. Ordinarii dicebantur, qui cal. ian. consulatum inibant et a quibus in fastis annus denominabatur. Horum si quis esset mortuus ante finitum

tum consulatum vel alia de causa magistratu de cederet: aliis in locum sufficiebatur. Hoc raro olim contingebat: sub Cæsaribus autem frequissime. Exempla vide apud Lamprid. in Alex. Seuero c. 43. Sueton. in Galba c. 6. Cæs. c. 80. Aug. c. 26. et Cic. l. vii. ep. 30. n. 5.

§. 4. Bello macedonico leges annariæ constitutæ sunt. Liu. l. xl. c. 43. Et consulatu quidem præstitutus est annus quadragesimus tertius. A qua lege pauci tamen fuerunt excepti, in quibus est Pompeius. Cic. pro leg. man. c. 21: et Eutrop. l. v. c. 6. n. 4.

§. 5. Consulares dicebantur, qui consulatu erant functi: quemadmodum prætorii, ædilicii, quæstorii; qui prætura, ædilitate, quæstura. Eutrop. l. v. c. 6. n. 6.

§. 6. Consulare imperium aliquoties interruptum fuit. Non dicemus iam de dictatura, quæ tantum semestris fuit, consulibus manentibus, sine autem ordinaria potestate: quod infra pluribus explicabitur p. 37. Sed decemviratus fuit, qui primo consulatum interruptum: deinde tribunatus militum consulari potestate.

III. DE DECEMVIRIS.

§. 1. Decemviri electi erant, ut leges Romanis ex atticis Solonis conscriberent et summa potestate, cessante interim consulatu, promulgarent: a quibus primum x tabulae legum factæ; postea, quum nonnulla deesse viderentur, duæ adiectæ, ut xii tabulae legum fierent,

quæ

quæ si
menti
§. 2
ratus.
seque
potest
l. iii.
O. I.
IV
§.
letqu
sules
miss
ince

§.
dein
l. vi.
Ta
rii,

bu
be
re
vn
ter
er
la

quæ sunt fons omnis iuris romani, ut ex fragmentis hodieque apparet.

§. 2. Ad biennium vix durauit hic decemvatus. Quum enim decemviri potestate sua sequenti anno abuterentur; abrogata illis fuit potestas, et consules reducti. Vide Livium l. iii. c. 32. seq. Eutrop. l. i. c. 16. et l. ii. ff. de O. I. §. 24.

IV. DE TRIBVNIS MILITVM CONSVLARI POTESTATE.

§. 1. Quum exercitus tumultum faceret, nolletque ab otiosis magistratibus ex vrbe regi: consules rursus abrogati sunt; et in illorum locum missi tribuni militum, qui in vrbe alii atque alii incerto numero imperarent pro consulibus.

§. 2. Initio tres creati sunt, Liu. l. iv. c. 6 et 16: deinde quatuor c. 31: aliquando sex et octo, l. v. c. 1 et 13. Sic per multos factum est annos. Tandem vero paenituit Romanos militaris imperii, et rursus facti consules. Eutrop. l. ii. c. 1.

V. DE PRAETORIBVS.

§. 1. Olim nullus magistratus exactis regibus Romæ erat, nisi consules. Quum vero habellis gerendis aliisque negotiis publicis detinrentur: additus fuit nouus magistratus, prætor unus, qui ius in vrbe diceret. Crescente autem ciuitate et multis peregrinis aduentantibus; creatus est aliis prætor, qui peregrinus appellatus est ab eo, quod inter peregrinos ius di-

ce-

ceret. Prior autem ille, qui ciuibus in vrbe ius reddebat, dictus est *prætor urbanus*. De his Pomponius *l. II. ff. O. L. §. 27. 28.* et Liu. *l. IV. c. I.* et *l. VIII. c. 15.* vbi ex plebe etiam creatum prætorem scribit. De aucto autem prætorum numero, de eorumque officiis post punica bella accurate ibidem Pomponius *§. 32.* quorum summa est, tot prætores fuisse additos, quot prouinciae in ditionem venerant. Vide et Liuium *epit. xix.* et *l. xxxii. c. 27. l. xxxiii. c. 26.*

§. 2. Crescentibus criminibus quæstiones publicæ sunt constitutæ, et iuridicæ caussæ inter prætores distributæ: atque a sufflano tempore usque ad Ciceronem octo prætores in vrbe fuerunt; et Cicero inter octo primus, vt ipse in *Pisonem c. 1.* et pro *leg. man. c. 1.* testatur. Iulius Cæsar *xii.* vel, vt Dio Cassius *l. XLIII. p. 237.* habet, *xiv* fecit prætores, Augustus *xvi.* Claudio adiecit duos, vt fierent *xviii.* quem numerum imperator Nerua restituit, quum a Tito minutus fuisset. Vide de his omnibus Pompon. *l. c.* Qui vero in prouinciis ius dicebant, saepius *proprietores* dicuntur, quam prætores: quamquam nec altera appellatio in illis insolens est. Cic. *de prou. consul. c. 7.*

§. 3. Prætores late dicti erant exercituum retores: vnde cohors prætoria, et ipsum prætorium appellantur. Sed de his non proprie hoc loco agimus. De edito prætoris etiam dicemus infra, vbi de Romanorum legibus et iudiciis exponemus.

VI.

VI. DE AEDILIBVS.

§. 1. Aediles non vnius generis erant: nomen vero omnes ab ædibus habent publicis, quas curabant. Primum eodem tempore, quo tribuni plebis sunt creati, duo ædiles facti sunt: non tantum ædium caussa, sed ut curam quoque rerum venalium gererent. Et hi erant minoris dignitatis atque ex plebe electi, quorum meminit Liu. l. III. c. 55 et 57.

§. 2. Maioris dignitatis erant, qui dicti sunt *ædiles curules* a sella curuli, maximorum magistratum ornamento. Et hi etiam duo erant, ex patriciis electi eodem anno, quo prætores primi facti sunt, quamquam deinde ad alios etiam ordines hoc munus peruenit. Liu. l. VI. c. 42. et l. VII. c. 1.

§. 3. Officium autem ædilium curulum præcipuum erat, ludos et spectacula curare atque edere: et quidem posteriori tempore, quum luxus increbuisse, suo ipsorum sumtu. Vnde quo splendidiores ludos edidissent, eo plus etiam gratiae conseqebantur a populo: adeo, ut Mamerco repulsam consulatus attulerit prætermisso ædilitatis; quod Cicero testatur de officiis. l. II. c. 17.

§. 4. Iulius Cæsar duos ædiles *cereales* addidit, qui rei frumentariae prospicerent: vt Dio Cassius l. XLIII. p. 239. refert. Sed et hi inferiores erant curulibus: et ubi ædiles absolute nominantur et ædilitas, semper ædiles curules intelliguntur.

VII. DE QVAESTORIBVS.

§. 1. **Q**uæstura primus gradus ratione ætatis apud Romanos erat, qui etiam ab adolescentibus et ante tricesimum annum peti et geri poterat. Munus quæstorum erat, pecuniam curare publicam, ærario inferre, et, ubi opus erat, distribuere, eiusque rei rationes atque tabulas conficere. Initio id consules ipsi administrabant. Quum vero auctius ærarium esse cœpisset: ut essent, qui illi præcessent, constituti sunt quæstores duo, qui *urbani* dicebantur. His additi postea duo alii, qui consulibus in bello adessent: non minus ac illi tam ex plebeis quam patriciis paullo post eligendi. Crescente autem republi-
ca duplicatus numerus est, et octo creati sunt quæstores. Vide l. ii. ff. de O. I. §. 22: et Liuium l. iv. c. 43. 54; et epit. l. xv.

§. 2. Sulla tandem constituit xx, ex quibus singulis præsidibus prouinciarum quæstor est forte additus: quod Tacitus refert annal. l. xi c. 22. n. 6. Iulius autem Cæsar apud Dionem Cassium l. XLIII. p. 237. dicitur xi. creasse, ut numerus ubique sufficeret. Atque talis quidem quæstor filii loco habebatur a præside propter fortis sanitatem: quemadmodum præses colebatur a quæstore pro patre. Vide Ciceronis diuin. in Verrem c. 19: l. ii. ep. 19. n. 1. et l. XIII. ep. 10. n. 1.

§. 3. Tandem ad præfectos translata est sub Cæsaribus ærarii cura, quæ antea quæstorum erat: vii infra docebimus scđt. ii. n. iii.

VIII. DE

propt
Initiu
num
res re
c. 6.
quam
blica
fores
fortu
serua
magis
tur,
ea vi
na E
lege
testa
l. ix
§
etia
ron
era
re
(siu
vel
siue
siue
vrb
ab
suf

VIII. DE CENSORIBVS.

§. 1. Censura magistratus erat summus, et propter morum castigationem formidabilis. Initium habuit sub rege vi. sed tum ad hominum numerum et fortunas magis, quam ad mores referebatur. Flor. l. i. c. 6. n. 4. Eutrop. l. i. c. 6. n. 3. Consules, qui regibus suffecti sunt, aliquamdiu administrarunt. Crescente autem republi-
ca nouus magistratus constitutus est, bini cen-
sores; qui non modo numerum inirent populi et
fortunarum, sed mores etiam singulorum ob-
seruarent, in malosque animaduerterent: isque
magistratus quolibet quinquennio constitueba-
tur, et potestas etiam quinquennalis erat. Post-
ea visum fuit periculo non carere, si tam diuturna
potestas penes paucos esset: ideoque aemilia
lege ad annum vel sesquennium reducta est po-
testas censoria. Vide Liu. l. iv. c. 8. et 24: et
l. ix. c. 33.

§. 2. Propter morum castigationem censores
etiam dicti sunt magistri morum. Vide Cice-
ronem l. iii. ep. 13. n. 8. Poena autem censoria
erat, senatorem mouere senatu et equiti adime-
re equum publicum: et quemcumque ciuem,
(sive is senator, sive eques, sive plebeius esset)
vel tribu mouere, hoc est, e tribu (sive urbana
sive rustica) nobiliore in tribum (sive urbanam
sive rusticam (minus nobilem, aut e rustica in
urbanam referre, immo pro delicti grauitate
ab omni tribu remouere atque sic etiam iure
suffragii priuare, seruato tamen reliquo ciuiratis
(Cellarii antiquit.) G iure,

iure, quod post urbem a Gallis captam (Liu. l. v. c. 50.) in Cæritum tabulas referre dixerunt; vel ærarium facere, hoc est, censu ordinatio in commodum ærarii multiplicato (sive seruata, sive mutata, sive ademta tribu) punire. Vide Ascon. Pedianum *in diuin.* Cic. *Verr.* c. 3. Liu. l. iv. c. 24. l. xxiv. c. 18. l. xxix. c. 37. l. xlvi. c. 15. Gell. l. xvi. c. 13; et Gundlingianorum *part. 16. n. 1. §. 30. sqq.*

§. 3. Sub cæsaribus cessauit censura: aliquando reducta, semel sub Augusto, iterum sub Claudio; nec vero constanter seruata, quia mali principes metuebant, ne sui etiam mores notarentur. Vid. Suet. *in Augusto* c. 37. et *Claudio* c. 16.

IX. DE TRIBVNIS PLEBIS.

§. 1. Sexto decimo post electos reges anno plebs romana, visa sibi a patriciis opprimi, secessit ex urbe trans Anienen fluum in montem sacrum: nec reuocari potuit, nisi imperato sui ordinis magistratu; qui tribuni plebis dicebantur, ut causam plebis in senatu semper agerent potestatemque haberent decretis senatus contradicendi, quod *intercedere* vocabant, id est, ut hodie dicimus, *protestari*.

§. 2. Initio duo creati sunt tribuni plebis: qui vero statim tres collegas adsumserunt, ut quinque essent. Tricesimo sexto post anno x tribuni plebis creati sunt: qui numerus mansit per tempora insecura. Vide de his omnibus Liuium l. ii. c. 32. l. iii. c. 30. Pomponium l. ii. ff. de O. I. §. 20, Eutrop. l. i. c. 12.

§. 3.

l. v.
vel
com-
sive
con.
r. 24.
xvi.
sqq.
uan-
lau-
prin-
tur.

ano
essit
sa-
sui
pan-
ent
tra-
vt

qui
que
uni
em-
um
D. I.

3.

§. 3. Quamuis igitur ordine et dignitate minor hic magistratus esset: maxima tamen, immo summa eius erat potestas propter potentiam multitudo-
nis sive plebis, qua facile poterant consulibus et toti senatui resistere. Quæ caussa fuit, ut Cæ-
fares quoque singuli quotannis sibi hanc potesta-
tem adsumerent, et in publicis monumentis per
annos eam numerarent; vt tribuniciæ potestatis anno VIII (TR. p. VIII). Noluerunt enim tribuni plebis vocari, vñ tantum appellatione *tribuni-
cia potestatis*: vti ex nummis illorum et marmo-
ribus videre licet. Hoc autem fecerunt, vt spe-
cioso titulo potestatem et imperium in ipsos consules et senatum sibi vindicarent. Vide Tac.
annal. l. III. c. 56. n. 1: et de potestate reliquo-
rum tribunorum nouem sub Cæsaribus, quæ ad-
modum restricta erat et umbra tantum veteris,
Plin. l. I. ep. 23. et *notas nostras ad illam. Conf.*
infra p. 92 & 93. §. 4

X. DE TRIBVNIS AERARIIS.

§. 1. Horum meminit Cicero *catil.* IV. c. 7. Erant autem ordinis minoris præfetti, qui attri-
butam pecuniam, id est, stipendium militum de-
ærario adnumerabant quæstori, vt inter milites diuideretur. Vid. Ascon. in *Cic. Verr.* III. de *pra-
tura urbana*.

§. 2. Intererant etiam populi loco iudiciis hi tribuni, quando illa ex tribus ordinibus mixta essent. Vid. Ascon. in *Cic. orat. pro M. Scauro* sub *finem*.

XI. DE TRIVMVIRIS CAPITALIBVS ET MONETALIBVS.

Coniungimus hos, quia Pomponius *l. ii. de O. I. s. 30.* coniunxit: forsan quia pari dignitate erant, utriusque autem minore. *Capitales* triumviri custodiam careeris habebant et curam suppliciorum. *Monetales* rem monetariam siue cedendæ pecuniæ curabant.

XII. DE INTERREGE.

§. 1. Ordinarios magistratus exposuimus hactenus. Extra ordinem erat interrex: et in summis necessitatibus ac periculis dictator et magister equitum. De quibus nunc pauca adferenda sunt.

§. 2. Nimirum post Romuli aliorumque regum mortem res ad interregnū rediit, ut qui nos singulos dies nouus interrex imperaret. *Liu. l. i. c. 17. 21. 32.*

§. 3. Idem in libera republica obseruatum fuit: ut, si consules reipublicæ caussa abessent aut morbo impedirentur aut vitio creati essent, interrex comitiis habendis proderetur. Prodebat autem patricius a patricio, qui æque circumscrip̄tus erat quinque dierum spatio: nec moris fuit, ut primus interrex comitia haberet; sed is peractis diebus quinque aliud prod̄bat, et sic deinceps, si comitia dif-

fer-

EG. IX.

ferre
n. I.
et A.

XIII

§.
sed
man
pare
hoc
do e
Con§.
ban
stru
dab
par
siue
l. xIta
ha
ge
qu
pe
ex
int
m

ferrentur. Vid. Cic. *pro domo c. 14. l. vii. ep. ii.*
n. 1. Liu. l. v. c. 31. l. vii. c. 2. l. viii. c. 17. l. ix. c. 7:
et Ascon. in orat. pro Milone.

XIII. DE DICTATORE ET MAGISTRO EQVITVM.

§. 1. In extremis periculis ad unius imperium,
 sed certo tempore definitum, refugiebant Ro-
 mani: electo viro probatae virtutis, cui omnes
 parerent et qui dictator appellabatur. Atque
 hoc imperante consulaire imperium quodammodo
 cessabat. Liu. *l. ii. c. 18*: et Eutrop. *l. i. c. ii. n. 1.*
 Conf. supra p. 28. §. 6.

§. 2. Dictatorem dicebant, hoc est, elige-
 bant consules: quemadmodum dictator magi-
 strum equitum, cui imperium equestris militiae
 dabatur; quamquam potestate impari, quoniam
 parere iubebatur dictatori, exercitum maiorem
 siue pedestrem ducenti. Liu. *l. ix. c. 38. l. iv. c. 57.*
l. xxii. c. 26 et 30.

§. 3. Post bellum punicum II, quum non in
 Italia, extra quam cum exercitu ire dictatori
 haud licet; sed in longinquis regionibus bella
 gererentur: cessauit hic magistratus ad Sulla^{ae} vs-
 que tempora, qui se ipse dictatorem et quidem
 perpetuum fecit. Vell. *l. ii. c. 28. n. 2.* Sulla^{ae}
 exemplum postea sectus est Iulius Cæsar: quo
 interimento prorsus abolitum esse dictaturæ no-
 men Cicero docet phil. *1. c. 1. 2 et 13.*

C 3

§. 4.

§. 4. Ceterum obseruari hoc loco potest, non tantum propter bellorum pericula; sed non nunquam aliis etiam de caussis, ut sunt secessiones plebis, comitia, feriae, creatos fuisse dictatores: vt hoc modo malum publicum auerteretur, vel aliquid salutare populo decideretur. Exempla huius rei vide apud Liuum l. viii. c. 18. 23. et 28.

SECTIO II

DE

MAGISTRATIBVS NO-
VIS SVB CAESARIBVS.

Suetonius de Augusto c. 37. sic memorat: Quo plures partem administrandæ recipublicæ caperent, noua officia excogitauit. Ex quibus præcipua interpretaturi sumus: addituri etiam, quæ Suetonius prætermisit.

I. DE PRAEFECTO VRBIS.

§. 1. Suetonius dicto loco in nouis Augusti magistratibus præfecturam urbis numerat: cuius amplissima potestas erat non tantum in vrbe, sed ad centesimum etiam lapidem ab vrbe. Munia eius late describuntur *toto titulo* xii. ff.

§. 2. Nomen quidem vetus est, quum in republica libera magistratibus, vel belli, vel sacrorum caussa absentibus præfectus vrbi fuerit constitutus: nunc autem nouus magistratus fit;

isque

isque perpetuus, non sub conditione absentiae;
noua potestate ac dignitate a Cæsare ornatus.
De discriminine veteris et noui præfecti lege Ta-
citum *l. vi. c. ii.*

II. DE PRAEFECTO PRAETORII.

§. 1. Etiam hanc dignitatem Augustus Cæsar
instituit: ut præfectus prætorio milites prætoria-
nos, qui corpori Cæsaris tuendo Romæ excuba-
bant, regeret; et supremam simul curam capti-
uorum, qui per milites custodiendi erant, habe-
ret. *Aet. xxviii. v. 16.* Plin. *l. x. ep. 65. n. 2.*

§. 2. Duos Augustus constituit; quod deinceps ira mansit, ut alternis vicibus officium face-
rent. Dio Cass. *l. iv. p. 555.* Nonnumquam
vnius tantum fuit: sub Commodo tres. Lamprid.
in Commodo c. 6. Constantinus quatuor fecit
cum summa administrandi imperii potestate,
quod in quatuor partes pro quatuor præfectu-
ris distribuit. Ex codice I. R. id notum esse
potest: clarius exposuit Zosimus *l. II. c. 32. seq.*

§. 3. Minor eius potestas sub Augusto erat, et
ad prætorium restricta: sub securis Cæsaribus in
immensum crevit, et vniuersæ militiæ ac rei-
publicæ cura penes præfectum erat prætorii.
Princeps, quum crearetur, gladium ipsi dedit:
quo ad illum tuendum viceretur, si bonus esset;
si malus, contra illum. De quo Plinius *in pa-*
neg. c. 67: et Dionis Cassii *excerpta in Traiano*
p. 778,

III. DE PRAEFECTO AERARII.

§. 1. Aerarii curam, quæ antea quæstorum fuerat, Nero ad prefectos transtulit. Tac. *ann. l. xiii. c. 28. n. 6*: et Gell. *l. xiii. c. 23*. Dictum fuit ærarium Saturni, quia in templo huius dei securitatis causa adseruabatur pecunia publica. Vide Plinium *l. v. ep. 15. n. 1*; et *l. x. ep. 20. n. 1*: qui huius officii etiam ut laboriosissimi et maximi paneg. *c. 91. n. 1*. meminit.

§. 2. Ab hoc ærario, quod commune et reipublicæ erat, distinguebatur *fiscus* seu ærarium nouum: ab Augusto diuisis cum senatu et populo provinciis institutum, ut aulæ inde sumtus ad ornatum principis ac dignitatem tuendam præberentur; atque a fiscellis dictum, quibus olim pecunia deponebatur. Vid. Tac. *annal. l. ii. c. 47. n. 3. l. vi. c. 2. n. 1*: et Plin. *pan. c. 36. n. 3* et *c. 42. n. 1*. Atque ex eo tempore nouum verbum ortum est *confiscare*, quod est in fiscum redigere. Vid. Suet *Calig. c. 41*: et Flor. *l. iii. c. 9. d. 3*.

IV. DE PRAEFECTO AERARII
MILITARIS.

Ab ærario communi et fisco differebat ærarium militare: quod Augustus, non tam conscribi milites aut cogi volens, quam mercede conduci et præmiis allici, instituit; ut perpetuo ac sine difficultate sumtus ad tuendos eos prosequendosque suppeteret. Suet *in Aug. c. 49*. Nouas etiam leges propterea tulit; præcipue illam

illam de vicemis, puta hereditatum, qua heredes non proximi vicemam partem inferre huic ærario iubebantur: quod sine ullius iniuria fieri poterat; quemadmodum cetera, quæ augendo illi excogitauit. Vide Dionem l. lv. p. 565: Plin. l. vii. ep. 14. n. 1; et paneg. c. 37. n. 1, et c. 39. n. 1.

V. DE QVAESTORE PRINCIPIS SIVE CAESARIS.

Quæstores Cæsaris qui vocabantur, non in provinciis erant: sed in urbe et palatio. Dicebantur etiam candidati principis: et munus eorum erat, libris principalibus in senatu legendis vacare. Vide Tac. ann. l. xvi. c. 27. n. 2. Suet. in Aug. c. 65, et Nerua c. 15; Plin. l. vii. ep. 16. n. 2: et ff. legem unicam de officio quæstoris.

VI. DE CURATORIBVS VIARVM ET ALVEI TIBERINI.

§. 1. Augusti Cæsaris et hoc institutum est: vt ex Suet. c. 37. constat. De via æmilia vide Plinium l. v. ep. 15. n. 1. Sic appiæ etiam, flaminiae aliarumque viarum curatores saepe in antiquis inscriptionibus laudantur: quorum hoc munus erat, vt viæ lapidibus stratæ per Italiam conseruarentur.

§. 2. Curator aluei tiberini itidem ab Augusto institutus fuit: vt ripæ semper munitæ essent; nec fluuius vel urbem vel agros et campos exundationibus, quod saepe acciderat, vastaret. Inscriptiones, quæ Plinii epistolis præfiguntur, testantur hodieque, Plinium iunio-

rem aluei tiberini et riparum curatorem fuisse.

VII. DE PRAEFECTIS CLASSIS VTRIVSQVE.

Augustus Cæsar ad tutelam superi maris et inferi classes duas, vnam Miseni et alteram Rauen næ collocauit, binis etiam præfectis constitutis, qui utriusque præfessent. Tradit hoc Suetonius *in Aug. c. 49.*

VIII. DE LEGATO CAESARIS SEV PRINCIPIS.

§. 1. In libera republica prouinciae romanae administrabantur per proconsules et proprætores. Augustus Cæsar mutauit statum et prouincias diuisit: pacatas senatu et populo reliquit; quibus opus erat præsidio militari et exercitu, sibi seruauit. Et illæ dictæ sunt prouinciae populi: hæ Cæsaris seu principis. In priores missi magistratus forma veteri: id est, proconsules aut proprætores, qui saepe prætores absolute nominantur. In Cæsaris autem prouincias, qui summo cum imperio et exercitu mittebantur, neque proconsules neque prætores dicti sunt: sed legati Cæsaris seu principis. Strabo *I. xvii. exounte.*

§. 2. Tales autem legati principum distinguendi sunt a legaris legionum: qui in libera republica æque ac cæsarea erant, et de quibus dicemus plura in re militari. Vide infra p. 47. Legatus Cæsaris dicebatur etiam legatus *consularis*, quia ex consularibus viris plerumque legebatur: legatus autem legionis dictus quoque est

le-

legat
præ
etior
3: l.
n. 5
IX.
§
pro
suis
app
et
Cæ
con
qui
pro
uir
fisi
ra
fe
in

D

legatus *prætorius*, quia huic muneri plerumque *prætorii* viri *præficebantur*. Vide de his distinctionibus Suet. *Vespas.* c. 4. Tac. *ann. l. ii. c. 80. n. 3*: *l. iv. c. 73. n. 43*; *hist. l. i. c. 56. n. 1*; *Agric. c. 7. n. 5*: Plin. *L. iv. ep. 31. n. 4*, et *l. vii. ep. 31. n. 2*.

IX. DE PROCVRATORIBVS CAESARIS.

§. 1. In libera republica et sub Cæsaribus in prouinciis populi quæstores dicebantur, quos in suis prouinciis Cæsares maluerunt procuratores appellari. Atque hi curam reddituum habebant et fisci. Dio *l. lll. p. 506*.

§. 2. In minoribus prouinciis, vbi nullus erat Cæsar legatus, procuratori etiam iurisdictio commissa erat: ut clare videmus in Pilari exemplo, quem Tacitus romano more *ann. l. xv. c. 44. n. 4* procuratorem Cæsaris appellat. In maioribus prouinciis, vbi legatus erat Cæsaris, solus reditus et fisicum procurator curabat. Tac. *Agric. c. 15. n. 3*.

§. 3. Sub posterioribus Cæsaribus dicebantur *rationales*, qui fisco et redditibus colligendis *præfecti* erant. Vide Eutrop. *l. ix. c. 9. n. 7*. Lamprid. in *Alex. Seuero c. 45*. Capitol. in *Maxim. c. 14*.

SECTIO III.

DE MAGISTRATIBVS AEVI POSTERIORIS.

§. I.

Mutantur magistratus tum tempore: et alia cum nomina, tum officia sortiuntur. Tertio christianorum saeculo,
qui

qui supremæ iurisdictioni in aula Cæsaris præerat, dictus est *magister scriniorum*; qui ferme erat, qui nostri temporis cancellarius: cuius honoris exemplum in Vlpiano habemus apud Eutrop. l. VIII c. 14. n. 3. Erant autem plura scrinia seu, ut nunc vocantur, cancellariæ, epistolarum, memoriae, libellorum, dispositionum: de quibus videas, quæ Salmasius ad Lampridii Alexan-drum Seuerum c. 31. et nos ex ipso ad Sextum Rufum c. 22. notauiimus.

§. 2. Deinde erant *corretores Italiae prouinciarum*: id est, adiutores Cæsaris in prouinciis Italiae regundis. Hinc in codice iustinianeo, in notitia imperii et inscriptionibus antiquis corretores Italiae, Etruriæ, Lucaniæ, Calabriæ, Brut-tiorum: rarius extra Italianam, ut Illyrici, Histriæ et Africæ memorantur. Quid quæris? Præfides erant, quos hodie gubernatores vocamus: vnde Tetricus ex principe talis correktor Lucaniæ factus est, apud Eutrop. l. IX. c. 9. n. 6.

§. 3. Constantino M. imperante *præfecti pretorio* quatuor constituti sunt, quibus summa in prouinciis data est potestas. Primus erat Orientis: secundus Illyrici magni, quod omnem Græciam simul comprehendebat; tertius per Italiæ et Africam; quartus Galliarum, cui etiam Portugallia et Hispania suberat. Conf. supra p. 39. Et ad hosce præfectos datae plerumque leges sunt in codice. Quando ergo plures prouinciae erant sub uno præfecto: in ceteris, quibus ipsi non præsidebant, *vicarios* habebant.

§. 4.

§. 4. Sub vicariis erant minores, tamen etiam prouinciarum *rectores*: quorum alii consulares, alii praesides, alii comites; quidam duces, quod militiae simul praerant, dicebantur. Cuius rei exempla plurima sunt *in notitia imperii utriusque*. Nimurum vicarius praefecti praetorio regebat certam dicecesin, quae est plurium prouinciarum administratio: sub vicario autem erant singularum prouinciarum rectores; qui distinguebantur pro magnitudine prouinciarum aut arbitrio imperatoris in consulares, correctores, comites, praesides. Atque haec in prouinciis.

§. 5. In aulam quoque noua officia sub iisdem prope titulis, comitum maxime, introducta. Sic l. I. cod. leguntur tituli *de officio magistri officiorum: de officio comitis sacrarum largitionum, comitis sacri patrimonii, cetera.*

§. 6. Honores etiam appellationum novo modo distribuebantur. Summus titulus erat *nobilissimus*; qui tantum Cæsaribus, quatenus distincti ab imperatoribus Augustis erant (ferme ut hodie rex Germanorum ab imperatore) et eonsanguineis imperatorum tribuebatur; et his quidem ex singulari imperatoris indulgentia. Zof. l. II. c. 39. n. 4. Ceteri, qui rempublicam regebant, dicti *clarissimi, illustres, spectabiles, egregii, perfectissimi*. Sed tamen et haec nomina cum discriminé dignitatum et priuilegiorum adhibebantur. Vid. not. imp. p. 1342. sq.

CAPVT